

Asuntos Eterogeneos  
Leidos en el año

u 687

25


1792.




*Faint, illegible handwriting at the top of the page.*

1702











Anuncios heterogeneos de 1792  
Enero

LC 687

8 Febrero

Quanta fuerza añade al raciocinio la motion e los afectos en la elocuencia. Por D.  
Jph. Bellviges

Marzo

Abril

Mayo

Junia



July 10

Agosto

9 bre.

4 bre.

9 bre.

10 bre.



Quanta fuerza añade al Raciocinio la mocion  
de los afectos en la Eloquencia.

Leida en 8 de Febrero de 1792.



Quarta feira tarde de Janeiro de 1700  
de 10 de Janeiro de 1700  
de 10 de Janeiro de 1700



+

Suscipere humani cordis expugnationem, ut res est inter omnia humana incepta gloriosior, ita nulla difficilius. Cetera enim omnia, magna licet et ampla sint, aut vi et ferro debilitantur, frangunturque, aut arti, et industria parere coguntur, aut improbo labore comparantur. Herculem ex antiquis Vatibus accipimus, terrarum longe divites tractus, atque inferorum infimos penetrasse, eo quod praeditus erat incredibili robore et animi et corporis. Typhim tenui lignorum acervo commisisse mari vitam suam et salutem. Dedalum per aera viam volucrum incedere tentavisse pennis mortalibus denegatis. Si autem a fabulosis ad veras transeamus narrationes, videbimus quod Alexander ille Macedo, nedum oppida, regna, regiones, sed totum etiam orbem invadet, et devincet armorum strepitu omnia perterrente, innumerisque fere stipatus exercitibus. Pyramides insuper condi mirabimur, quae nubibus propemodum obducantur: struis muros longissimos, latissimosque, adeo tenuibus superimponi columnis hortos, adeo levibus aliis suffulciri Mausoli Regis mo-



numenta, ut illi propterea dicantur pensiles, ista in  
aere vacuo pendentia esse videantur.

Cum autem haec fiant artis dexteritate miracula,  
qua fieri posse aliunde vix credibile videbatur; cum ferro  
et armis urbium invictarum arces munitissima corru-  
unt, tecta ardent, ipsi cives, ut saepe fit, in miseram  
rediguntur servitutem; illorum animus ullis naturae,  
nec artis viribus subditur, liber omnino perseverat.  
Soli cedit facundia virtuti, solis flectitur potentissimis  
armis Eloquentia. Haec est, quae cum plures provincias  
expugnaverit, quam expugnare potest robur armorum,  
atque manus militum, de humano corde gloriosum,  
sed valde difficilem triumphum reportare valet. Haec  
est, quae ipsum animum hominis liberum ad similitu-  
dinem Primi liberi expressum expugnat, cogit arbitra-  
tu suo, revolvit, atque vertit, qui ceteroquin adversus  
cruciatu omnes, ferrum ac flammam invictu stare po-  
tuisset. Haec est illa artium praclarissima, quae quo-  
niam in animis hominum dominium suum exerceat,  
Regina Flexanima à Cicerone nominatur.

Certum est hanc Reginam, cum in certamen con-  
greditur, ut victoriam humani cordis assequatur pro  
insignibus pellucidisque vertibus indui orationis varia



supellectili, pro delectis militibus et armis valida defere  
re argumentum. dum momenta, aut nisi ad haec, pro  
eruptione, et invasione bellica accederet copiosa am-  
plificatio, ac vehemens affectuum motio, fere nunquam  
triumpharet de humana voluntate. Quare fateri  
debemus ad hunc triumphum plura concurrere; omni-  
bus varietatibus multum in oratione juvare; plus ve-  
ro valere ratiocinia, quae mentem instruendo pro-  
nam et paratam reddunt, assentiendo veritati; sed  
tamen nulla vis potior ad animos hominum devincen-  
dos eam, quam experit. Eloquentia in excitandis affectibus  
En Ep<sup>me</sup> Domine, provinciam à Te mihi hodie de-  
mandatam, quantum videlicet ponderis ratiocinio ad-  
jungat motio affectuum in Eloquentia, quod quidem  
existimo esse tantum, in sublimi praesertim genere  
dicendi, ut eam, quam ratiocinia faciunt fidem adau-  
geat, unde intellectus acrius convincitur, et voluntas ad  
opus permovetur.

Si sic instituti essent homines à natura, ut statim  
ad virtutem et honestatem intelligant, ad ea, sponte  
sua ferrentur, esset omnino inutilis ars tractandorum  
affectuum, neque locum habere deberet in Eloquentia;  
sicut aliquando in Arcopago non habuisse legitur, eo quod



incorrupti illi iudices credebant, perturbationibus animi  
non egere, ut bonum amplecterentur, apocensumque  
iustum decernerent. Ornes enim homines, ait apud  
Salustium Caesar, qui de rebus magnis consultant ab  
odio, amicitia, et ira, atque misericordia vacuos esse  
debet, et ceteris affectibus, qui rationis iudicium perversum  
tunt, vel usum impediunt. Neque difficile foret affectu  
um commotionem de qua nunc agimus ab Eloquentia  
secernere, si de rebus placatis ac minime turbulentis,  
sicut Philosophi solent, docendi causa, non capiendi lo-  
quamur. Philosophi enim plures, verbis utat Ciceronis,  
ornate lo<sup>cu</sup>ti sunt, siquidem et Theophrastus, divinita-  
te loquendi nomen invenit, et Aristoteles Isocratem  
ipsum laesivit, et Xenophontis voce magis quasi locu-  
tas ferunt, et longe omnium, quicumque scripserunt, aut  
locuti sunt, existit et gravitate princeps Plato; horum  
tamen oratio, neque nervos, neque aculeos Oratorios ac-  
facies habet. Loquuntur cum doctis, quorum sedare ani-  
mos malunt, quam excitare. Verumtamen cum Vir  
Eloquenti saepe teneatur ostendere aliquid esse in gene-  
re suo magnum, mirabile, atrox, cavendum, detestandum  
fugiendum, et magna hominum pars, magis affectu,  
quam ratione ducatur, et saepe meliora vident, et



approbans sequatur deteriora, ut de se fatetur Medea  
illa Ovidiana, de se fatetur homo Divina, mentis Augu-  
stinus, de se fatentur id. Alii plures; necesse est, ut post-  
quam Vir eloquens intelligentiam veri et equi, objectis  
facibus illuxerit, salutati se se incinet, eam tractet  
et omni modo permoveat, ardens ardorem incutiens, sti-  
muloj subdens, ut graviore hac vi ad ea pertrahat,  
que vult, reluctantes licet, et invitoj.

Nec opportunum iudico auctoritatibus summorum  
in hac arte Virorum motu affectuum potentiam in  
eloquentia confirmare. Veteres et recentiores, quorum  
magnum numerum, si vellemus, facile foret adducere, om-  
nes idem sentiunt, praecipuum nempe eloquentia reg-  
num in eo esse, ut vis afferatur animis, affectus exci-  
tando vel sedando. Iuvabit autem coram tam sapienti  
ordine, unius Ciceronis et Quintiliani de hac re profe-  
re sententiam, ex his siquidem ceteri Magistri poste-  
rioribus saeculis notam haurere doctrinam. Tullij autem  
pluribus in locis, ac nullibi melius quam l. de Orat. hujus  
vim et necessitatem ostendit, quippe in animorum motu,  
omnem rationem dicendi constituit. „Omnes, inquit, animo-  
rum motus, quos hominum generi natura tribuit,  
peritus permovendi, quod omnis vis, ratioque dicendi, in eoru



„qui audiunt mentibus, aut sedandis, aut excitandis expri-  
„menda est.“

Etiam sane fuit Quintiliani mens; etsi enim  
in ea Republica viveret, que cum eo unius Imperatoris  
voluntate, arbitrioque penderet, oratoribus motuum  
eliciendorum facultatem adimere videbatur; lib. 6. non tantum  
hanc necessitatem innuit, sed modum etiam explanat, quo  
affectus rationis vim adaugent, qui est scopus totius  
orationis mee. Hoc est, ait laudatus Fabius, quod domina-  
tur in judiciis. Hec Eloquentiam regunt: : Vbi vero  
animis iudicium vis afferenda est, et ab ipsa veri contem-  
platione adducenda mens, ibi proprium Oratoris opus est.  
Hoc non docet litigator; hoc libellis non continetur. Proba-  
tiones efficiunt sane, ut causa nostra meliorem esse  
iudices putent; affectus prestant ut etiam velint. Sed  
id quia volunt, credunt quoque. Nam cum irasci, favere  
odire, miserari ceperint, agi jam rem suam existi-  
mant; et sicut amantes de forma iudicare non possunt  
quia sensum oculorum premit amor, ita omne inquiren-  
de veritatis rationem iudex amittit, occupatus affecti-  
bus; astu fertur, et veluti rapido flumine obsequitur.  
Vbi notare oportet tria precipue docere Quintilianum  
in hoc capite, omnia ad rem nostram pertinentia. Pri-  
mum quidem affectuum motionem in iudiciis dominari,



et Eloquentiam regere. Deinde hoc esse proprium et singu-  
larem Oratoris opus, vim afferre iudicibus, ac auditoribus, eoque  
abducere à subtili Contemplatione veritatis. Demum  
quid nudum ratiocinium efficiat, quidque efficiat amplifica-  
tionem commotionum, affectibusque conjunctum probationes  
quàmquàm firmissimam esse, seque, ac exiliter proposita  
efficiunt plane, ut rem nostram iudicent auditores proba-  
biliorē, meliorem, veriorē; interea tamen tepida mane-  
bit voluntas, repugnans, et in suo proposito pertinax. At  
verò sint probationes verbi et rebus ad motum animorum  
idoneis animatae, et fiet, ut cum ardenti oratione audi-  
tor incaluerit abducatur mens a morosa speculatione  
veritatis, in quo unice antea versabatur, et tunc animus  
quàmvis probationes leves sint vel levisima, vehementia  
affectus oblectat et occupat, victrici illi vi, repente cedit  
rapiturque quocumque intendit Orator, ad modum amon-  
ti qui cæco impetu strahitur in objectum, vel sicut qui  
rapido torrente defertur, quin ullam habeat resistendi  
facultatem. Quare vide Ep<sup>me</sup> Domine, quantum polleant  
in magifico dicendi genere, animorum motus, cum ab  
illis non modo argumenta firma, firmiora fiunt, sed  
etiam imbecilla fiunt quodammodo graviora, et aptiora  
fidei faciēda. Nec te moveat, quod afferimus morum



animorum omni argumentationi vim addere ad faciendam  
fidem. Et enim, etsi fidem facere videatur esse proprium argu-  
mentationis finis, sicuti affectuum est per movere volun-  
tatem; tamen et fidem facit argumentatio, et fidem  
facit affectuum motus, diuisis tamen ratione. Argu-  
mentatio namque fidem facit simplicis rationis expo-  
sitione, subtiliter enucleando singula, lucens rebus addendo  
illo dicendi genere, argumenti accommodato, conciso vi-  
licet ac tenui, quod solum partem intelligentem ferit, at  
affectuum <sup>com</sup> motio, que nunquam est sine amplificatione  
illud ipsum magis inebriat, finem deducit, ne facilius aures  
pretervolet; et plurimas in acervum congerens, pertur-  
bat, premit animum audientis, adversarium suffocat  
precepi volubilitate, sententiarum pondere, et verborum  
gravitate, orationis ubertate et magnitudine, nedum  
expugnat voluntatem, sed mentem etiam impellit, ut  
multo firmitus, rebus, quibus fidem adhibuerat, adhereret.

Tam vero discrimen istud, quo conhibetur fides  
per argumenta sicce proposita, et quo augetur per  
ipsa, ut affectibus conjuncta, quivis clarius intelliget in  
Orat. Tullii pro Mil. Nuda oratione forte dixisset  
Orator odio habendum esse Clodium: quoniam sceleratissi-  
mus quisque est odio habendus, nec est in Republ. reti-  
nendus. Clodii autem scelera omnibus, hac luce, notiora



sunt, quidni ergo civis reuerentissimam Clodium diutius  
perferent? Haec autem quamquam convincere mentes  
idonea sunt, arbitratur nihilominus aliquos civis et bo-  
num velle Clodii, ipsi quoque posse diligere reuerentium.  
At dum hoc amplificat argumentum, et affectibus habentem  
laxat ipse Orator odio percitus, odium patris omnium civium  
adversus Clodium accendit. Dura mihi mediis fidiis, iam  
fortuna populi Rom. et crudelis videbatur, quae tot annos  
illum in hanc remp. insultare videret, et pateretur.  
Polluerat stupro sanctissimam Religionem: Senatui gravissima  
decreta perfregerat: pecunia se patam a iudicibus rede-  
merat: vesperat in tribunatu Senatum: omnium ordinum  
consensu pro salute Reipubl. gesta resciderat: in patria  
populerat, bona eripuerat, domum incenderat, liberos, con-  
jugem ipsam vesperat: in Pompejo vesperat bellum indi-  
perat: magistratum, privatorumque cedes effecerat: domum  
mei fratris incenderat: vastarat Etruriam: multos sedibus  
ac fortunis effecerat: instabat, arcebat: capere eorum amen-  
tiam, civitatis, Italiae, Provinciae Regna non poterant: ini-  
debantur iam domi leges, quae nos patriis servis addicerent.

Quod si Orator dominatur Principibus, milites exarmat,  
de hostibus triumphat, durissimas quaque mentes, velut Orphe-  
us emollit, tenacissimos animos, velut Amphian inflectit, frigi-  
dissimos inflamat, ardentissimos remittit, et sedat, cui hoc



tyranni quam in cordibus omnium exercet, nisi incredibili vi formationis affectuum tribuenda est? Quomodo Oratore exultante, qui audiunt subsilirent, commiserante impermiserent, erigerentur pollicente, indignarentur exprobante, commendante diligerent, iracerentur exardente, remittente demum conquiescerent, nisi ex Oratoris vultu oculis, manibus, verbis ac sententiis, innumeri pene ictus cordi animis infingerentur, quibus eo, quo vult Orator, affectu rapiuntur? Sed pleni sunt omnes libri Aretorum huiusmodi victorias, magis animorum motibus debitis, quam rationum momentis. Quomodo perditae luxurie adolescens Atheniensis Polemo ex infami paneone maximam Philosophum exarsisset, nisi vehementem Democriti oratio intus totum cor ejus occupasset? Ponite vobis ante oculos adolescentem, sine gravem, unguentis ~~et~~ delibutis, vertis capite redimita, pelluuda veste aula Democriti intrantem, ut Philosophum, ejusque procepta irrideat. Quam longe Polemonis animum abesse arbitramini, ut a tam perditis ista deducant languida argumenta Philosophi? At ubi Democritei gravem, incitatam, vehementem & modestia et temperantia ex tempore conficit orationem, ita Polemo respicit ut in ipso Gymnasio coronam de capite projecit, brachia intra pallium, reduperit, oris hilaritatem deposuerit, totam luxuri-



am reliquerit.

Quid de Cicerone dicam? Nonne hoc orationis imperu-  
sape adversarioꝝ de satu omni defecit? Nonne summo Ora-  
tori Hortensii verba eripuit pro familiari reo oraturo?  
Nonne hominem audacissimū Catilinam in senatu accu-  
satum obmutescere coepit? Nonne Curionem Patrem in  
privata causa, magna, et gravi respondere incipientem  
compulsit ut subito accideret, cum sibi venens ereptam me-  
moriam diceret? Quid de ejusdem Ciceronis miserationibꝫ  
loquar? Cum enim in civitate plures essent Principe Orato-  
res, qui dicerent, perorationem omne Ciceroni relinquebant  
sienteꝫ in misericordia cienda, omneꝫ alioꝝ ingenio mag-  
noꝝ antecellere. Unum tantum dicam (cujus te non ignarū  
arbitror) <sup>Sp. me</sup> Domine, et in quo nescio quid ponderis, affectꝫ  
argumentū addiderunt.) Casarem domo sua prodire, et qui-  
dem animo non ignoscendi Ligatio, quin imo se munire  
statuerat. Contra Ciceronis argumenta. Vis autem Ciceronis  
perorationem in senatu audivit, dolore contractꝫ, amplius se  
continere haud potuit, Cloquentia vi cecit, atque Ligario pe-  
percit.

Denique si de triumphis Cloquentia generatim spectata  
ad eos, quos sacra reportat Cloquentia, progredi libuerit, idem  
omnino judicium ferendum erit, ad eos nempe, affectꝫ tantū  
ponderis ratiōnis adungere, ut plusquam argumenta, affect-



tuy animi valeant, tum apud rudem populum qui rationum pondus parum perpendit, tum apud eos, qui supra vulgus sapiunt. Et si de orationibus quibusdam ad populum Christianum habere solitis sermo noster est, fortasse non dubitabimus asserere, in pluribus argumenta esse omnino otiosa; cum fideles Christi plerumque haud ignorent, quid bonum, quid primum, quid verum, quid factum sit; in omni autem oratione sunt affectus necessarii: his enim factibus, et stimulis accenduntur, ut non solum assentiant, sed etiam id quod iam bonum ~~certis~~ censeant, agant.

Sic Traianus, et alii caeterique Vates, sic Paulus et alii Apostoli, non contenti docere sese in mentes iniungunt, et pugnant instantique sermone succedunt: sic ad actiones honestas melius homines perducebant gravissimi quisque et sanctissimi Ecclesiae Doctores, qui saeculis omnibus floruerunt: sic expugnare Reges, premere potentium libidines, idola à regnis evertere, eradicae cordibus vitia, virtutes serere, novos mundos ad fidem Christi adducere consecuti sunt. Quorum opera, quandoquidem spectabili in luce sunt posita, et manibus omnium trita, alienum importunumque foret, hic varia exempla congerere, quibus et oratio nimis exerceceret, et tuae, <sup>ex</sup> Domine, aures offenderet, quem in hac sententia esse certò scio, quod argumenta ad eloquentiam sive sacram, sive profanam attentione, affectibus nudata, jejuna, infirma, ingrata sunt: quod



in affectibus stat peruationis spiritus, et animus: et propterea  
quod numquam nudus, et siccus Orator, quamquam accu-  
rata dictione delectet ut teneat; lecti ratiocinii arguat  
ut instruat, numquam finem suum attinget inclinanda vo-  
luntatis, quo intendit, numquam ceteros homines ad aliquid  
vel credendum, vel agendum, vel omittendum propellet, nec  
vim afferet animis, qui ~~in~~ isti arti tractandorum affectu-  
um non incubuerit.

Dia <sup>4</sup> de Febrero del año 1792

Jph Bellonze P. Bro.



in officio...  
quod...  
non...  
ut...  
lucro...  
vel...  
non...  
non...

1777  
1777  
1777